

PROPERTII

sed procul inclusas audit ridere puellas.
 lucus ab umbroso fecerat orbe nemus,
 femineae loca clausa deae fontesque piandos 25
 inpune et nullis sacra resecta viris.
 devia puniceae velabant limina vittae,
 putris odorato luxerat igne casa,
 populus et longis ornabat frondibus aedem,
 multaque cantantes umbra tegebat aves. 30
 huc ruit in siccam congesta pulvere barbam,
 et iacit ante fores verba minora deo:
 'Vos precor, o luci sacro quae luditis antro,
 pandite defessis hospita fana viris!
 fontis egens erro circaque sonantia lymphis, 35
 et cava suscepto flumine palma sat est.
 audistisne aliquem, tergo qui sustulit orbem?
 ille ego sum: Alciden terra recepta vocat.
 quis facta Herculeae non audit fortia clavae
 et numquam ad vastas irrita tela feras 40
 atque uni Stygias homini luxisse tenebras?
 accipite: haec fesso vix mihi terra patet.
 quodsi Iunoni sacrum faceretis amarae,
 non clausisset aquas ipsa noverca suas.
 sin aliquem vultusque meus saetaeque leonis 45
 terrent et Libyco sole perusta coma,
 idem ego Sidonia feci servilia palla
 officia et Lydo pensa diurna colo,